e-codices

surrectione reparatur. Et unde hoc mihi, ut ueniat ma
ter domini mei ad me. Non quasi ignorans dicit, sciebat enim esse sancti spiritus
gratiam et operatione, ut mater prophetae a matre domini ad profectum sui
pigneris salutetur; sed quasi non humani hoc meriti, sed diuinae
gratiae munus esse cognoscat, ita dicit: Unde hoc mihi. Hoc est quan
tum bonum mihi accidit, ut mater domini mei ueniat ad me. Agnosco
cognosco meum, unde hoc mihi. Qua iustitia. Quibus factis.
Quibus meritis. Non usitata haec officia feminarum sunt,
ut ueniat mater domini mei ad me. Miraculum sentio, cogno
sco mysterium. Mater domini uerbo feta, deo plena est. Ecce enim
ut facta est uox salutationis tuae in auribus meis, ex
ultauit in gaudio infans in utero meo. Et beata quae cre
didisti. Uides non dubitasse mariam, sed credidisse, et ideo fru
ctum fidei esse secutam. Beata inquit quae credidisti. Sed et uos beati
qui audistis et credidistis. Quaecumque enim crediderit anima, et con
cipit et generat dei uerbum, et opera eius agnoscit. Sit in
singulis mariae anima ut magnificet dominum, sit in sin
gulis spiritus mariae ut exultet in deo. Si secundum carnem una
mater est christi, secundum fidem tamen omnium fructus est christus. Om
nis enim anima accipit dei uerbum, si tamen immaculata et
immunis a uitiis intemerato castimoniam pudore cu
stodiat. Quaecumque igitur talis esse potuerit anima, magnifi
cat dominum, sicut anima mariae magnificauit dominum, et exul
tauit spiritus eius in deo salutari. Magnificatur enim dominus, sicut et
alibi legisti: magnificate dominum mecum; non quod domino aliquid
humana uoce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis.
Imago enim dei christus est, et ideo si quid iustum religiosumque fecerit
anima illa, imaginem dei ad cuius est similitudinem creata
magnificat, et ideo dum magnificat eam, magnitudinis
eius quadam participatione sublimior fit, ut illam imaginem

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%2038 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%2038)